

sentiendi gradibus doctrinam confirment & latè patentem ejus usum in sacris quoque literis interpretandis ostendant.

EXERCITATIO XCI.

De nexu qui est inter mentem humanam & corpus, & inter functiones utriusque.

1. **Q**Uòd res plures corporeæ inter se conjunguntur ad unum totum constituendum, id præter supremæ causæ voluntatem, in ipsis rebus causam habet, naturalem illarum similitudinem, affinitatem & convenientiam. Simile enim simili sociari quid mirum?

2. Sed quòd res toto genere differentes, quales sunt anima humana & corpus humanum, illa naturæ intellectualis, hæc materialis, inter se conjungantur ad unum totum, quòd Hominem vocamus, componendum, id mihi non videtur in ipsarum rerum natura, sed in sola Dei voluntate & beneplacito, causam habere.

3. Qualis autem hæc sit conjunctio & in quo consistat, explicatu est admodum difficile, nec video quid possit ad eam intelligendam magnopere conducere, præter experien-